

diligenciam, quam ad proficiendum eidem Cameracensi ecclesie idoneam et approbatam personam adhibuimus, vigilanter in venerabili fratre nostro Petro nunc Cameracensi tunc Magalonensi episcopo, quem scientia litterarum predictum generis nobilitate preclarum virum quoque vite laudabilis conversationis placide morum honestate decorum discretionis et consilii maturitate conspicuum novimus, noster animus requievit. Intendentes itaque tam gregi dominico quam ecclesie Cameracensi predictae salubriter providere, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ipsum a vinculo, quo tenebatur Magalonensi ecclesie, cui preerat, absolventes, ad predictam Cameracensem ecclesiam eundem Petrum transtulimus et concessimus cum ipsi Cameracensi ecclesie in episcopum et pastorem, liberam sibi dantes licentiam ad eandem Cameracensem ecclesiam transeundi, curam et administrationem ipsius Cameracensis ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma ducti fiducia, quod eandem Cameracensem ecclesiam salubri dante domino regimine gubernabit ipsaque Cameracensis ecclesia utilis presidio munita pastoris optatis affluet incrementis. Quocirea serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eidem Petro episcopo Cameracensi ob reverentiam apostolice sedis et nostram regalia sine qualibet difficultate concedens te sibi reddas in regio favore munificum et in cunctis oportunitatibus gratiosum, ita quod idem Petrus episcopus tue celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii possit assidue deo propitio prosperari ac tibi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Avinione. iiii. Kal. Augusti, pontificatus nostri anno quarto.

Arch. capit. n. 1311. Original. Unten rechts in der Ecke: N. Ferentinus; dasselbe nochmals auf der Rückseite in einer Ecke und inmitten von anderer Hand: pro episcopo Cameracensi regi Romanorum.

45. 1309. August 1.

Die Stadt Erfurt verspricht dem K. Heinrich, ihm in näher angegebener Weise gegen Friedrich, Sohn des Landgrafen Albrecht von Thüringen, beizustehen und ohne Willen des Königs keine Sühne mit demselben einzugehen.

Nos magistri consules et universitas civium Erdfordensium publice profite-mur et constare volumus presencium inspectoribus universis, quod nos provide considerantes devocionis et fidei debitum, quo Romano tenemur imperio, ac graciosam benivolenciam favorisque plenitudinem, quibus serenissimus dominus noster dominus Heinricus Romanorum rex nos complectitur, promittimus et per fidem nostram prestitam promisimus eidem domino nostro regi constanter assistere ipsumque iuvare, accedente auxilio spectabilis viri domini H. comitis de Orlamunde, qui centum dextrarios habebit cum ducentis quinquaginta viris decenter expeditis in dextrariis, contra principem inclitum dominum Fridericum illustris domini Alberti lantgravii Thuringie filium inter limites terre Thuringie et non extra, ita videlicet quod capitaneo, quem prefatus dominus noster rex ad partes Thuringie cum ducentis dextrariis destinabit, duo milia librarum denariorum Erdfordensium dabimus et assignabimus complete in victualibus in